

PRÆFAMEN.

VI

Tolofani Senatûs quondam præfes, magnus ille PETRUS FABER *in præfatione ad Semestrium libros* refert, fe illud femestrium feriarum spatium, quod cæteris ejuſdem ordinis hominibus tum ad res ſuas obeundas, tum ad ipſam requiem animi, & corporis conceditur, & quidem totum illud vacui temporis ad jurisprudentiam, ad veterem hiftoriam, ad Græcarum denique, Latinarumque literarum ſtudia; quibus à puero deditus erat, recolenda contuſiſſe, & non tantum conſilia quaſi quædam cum Latinis, Græciſque optumis autoribus de juris interpretatione, deque aliarum literarum intelligentia, & cognitione habuiſſe, verum etiam illo feriali tempore ſeceſſiſſe, librisque ſcribendis operam dediſſe. Doctiſſimum, digniſſimumque præſidem ego, ut conſiliarius, quamquam non paſſibus æquis, ſequi geſtiens, æſtivas ferias privatis ſtudiis conſecrare, ac præcipuè legem, ut vocant, amortizationis paullo penitiùs meditari malui, eò quod illa aliquo abhinc tempore totam patriam, & fora noſtra ita percuſſarit ac peragravit,

grarit, ut omnes ferè disceptationes forenses, quarum nondum finis est, hæc in re verterentur. Hinc quæ, non sine aliquâ tamen diligentia, immò verò assiduis vigiliis lucubravi, nunc jam ad manus non mortuas, sed vivas defero, jurisque cupidis pusillos labores meos, ut oportet, sacratos esse volo.

Dabam Düßfeldorpii septimâ Augusti MDCCLXXXVI.

